

99 7 242



D E
NOBILISSIMA NO-
BILISSIMI VISVS O-
PERATIONE, AC POLYDÆ-
dalo operationis modo, Philosophi-
cæ Propositiones:

Quas,

Divini numinis propitio favore,
sincero veritatis eruendæ studio,

IN

CELEBERRIMA ET INCLY-
ta Vitebergensi Academia publicè

Cum

Candidis Philosophis & veritatis amicis exentiet
ac disceptabit

M. CHRISTIANUS HASTÆUS
Rinthelensis;

RESPONDENTE

IOHANNES MAVIO Ascaniense.

VVITEBERGÆ

Excuse typis M. Simonis Gronenbergij

M. D. XCIIII.

N O B I L I S S I M A N O

B I L I S S I M I V I S V O

P A R A T I O N E A C P O L Y D E

de Propositionibus

de Propositionibus

de Propositionibus

de Propositionibus

C E L S E R I M M E T I N C E L T

de Propositionibus

de Propositionibus

de Propositionibus

de Propositionibus

de Propositionibus

de Propositionibus

de Propositionibus

de Propositionibus


de Propositionibus



99 7 242

Philosophica Propositiones.

I.

 Mnis Philosophica scientia fundamento naturæ ubivis insistit.

II.

Ultra naturam enim non evagatur usquam Philosophia ; sed metis ac cancellis naturæ obsepitur.

III.

Quæ verò nobis obtingit cognitio Philosophica, ejus seminaria ab externis sensibus in intimum sensum primùm commeant.

IV.

Vnde scientiæ κριτήρια in sensuum Externorum testimonijs rectè defiguntur.

V.

Si igitur scientiam Philosophicam velimus ratam ac constantem adipisci ; necesse est, ut sensuum Externorum ministerio prima scientiæ seminaria diligenter conquiramus & accuratè exploremus.

VI.

Nam turpe foret, si Philosophus scientiam affectaret, nec scientiæ fundamenta, principia ac seminaria indagaret, nec externorum insuper sensuum operationem sedulò pervestigaret.

VII.

Inter omnes autem sensus externos eximia quadam nobilitate splendidius emicat **V**isus, cæterisque præfulget omnibus.

VIII.

Hujus igitur operatio in primis erit perquirenda.

IX.

Iccircò convenientissimam & idoneam publicæ disputationi materiam nobis **V**isus subministrabit.

X.

Vt autem ordine omnia exequamur, primùm definitione generali **V**isum delineabimus; mox specialius ea perstringemus, quæ ad visionem naturalem naturaliter simul conspirant.

XI.

Quare visus est nobilissimus sensus externus, qui idoneo oculi instrumento terminati corporis coloratam imaginem contuetur, si medium luminosum perspicuum inter sanum oculum & corpus coloratum intercedat.

XII.

Hujus definitionis sensus ut elucescat evidentius, omnia ejus membra sigillatim erunt enodanda.

XIII.

Vnde primùm **G**enus explanabimus.

XIV.

Visus associatur sensibus externis: iccirco naturæ ac conditioni eorundem commuiter se submittet.

Nam

XV.

Nam Species Generi communiter subjacet, &
Genus ad omnes Species æqualiter se expandit.

XVI.

Omnes verò sensus externi spiritu quodam ani-
mali suas communiter peragunt actiones.

XVII.

Spiritus autem animalis est instrumentum prima-
rium, quo sentiendi principium, quod in cerebro ob-
hæret, suas operationes sentientes passim in corpo-
re exequitur.

XIIX.

Hic animalis spiritus è cerebro in diversa sensu-
um organa illabitur, ac peculiarem ibi ab organo-
rum temperatura assciscit insuper alterationem, quâ
præsenti operationi specialiter se adaptat.

XIX.

Inde fit, ut animalis spiritus in oculo visioni, in
linguâ gustui, in auribus auditui præsit.

XX.

Deinde ad visionem naturalem ritè obeundam
desideratur idonea oculi fabrica in temperie, situ, ac
partium connexionem.

XXI.

Oculi temperamentum etsi nonnihil devertat in
frigidum; ab influente tamen spiritu & continuâ a-
ctione iterum concalescit aliquantulum.

XXII.

Si primarum qualitatatum convenienti *συμμετρία*

A 3 non

non perfundatur oculi structura, visus detrimento
subit. XXIII.

Nam si excalescat nimium oculus, tum spiritum
animalem vaporosus suffundit halitus, ac guttulæ a-
quosæ, quæ ex calido emanant cerebro, visioni offi-
ciunt. XXIV.

Frigus etiam extorquet guttulas lacrymantes, &
ita visioni obsistit. XXV.

Deinde si oculus permadescat humore, aut exare-
scat siccitate, tum naturalis quoq; visus actio labefa-
tatur. XXVI.

Porrò situm oculi aptum insuper naturalis visus
exposcit. XXVII.

Naturalis oculi situs neq; protuberat nimium,
neq; cavo frontis profundius immergitur, neq; obna-
tis membranis, musculis aut nubeculis contegitur.

XXIX.
Connexio partium apta quoq; hîc desideratur.

Si enim musculi oculum moventes discindantur, si
oculitunicæ discerpantur ac consaucientur, si humor
cristallinus & vitreus diffluant, visus aut aboletur,
aut jacturam insignem perfert. XXX.

Ad visionem desiderari coloratum corpus termi-
natum, superius etiam asserui. XXXI.

Terminatum verò corpus est, cuius partes sunt
constipatæ. Nam

XXXII.

Nam ob nimiam raritatem interminatum corpus neq; colorem sensilem evibrat, neq; in oculos incurrit.

XXXIII.

In ipsis verò raris partibus coloris potentia naturaliter delitescit, quæ in constipationis actu effulget, & tam diu sensibiliter persistit, quàm diu termino cui-dam sensibili corpus astringitur.

XXXIV.

Hinc aërem sereno cœli statu oculus non apprehendit, nec ejus colorem persentiscit, quòd nec color nec imago aëris in terminatâ superficie tum alicubi defigantur.

XXXV.

Aër enim in disita cœli spatia ad solem, & steriles ac candidas nubes se citra colorem tum exporrigit.

XXXVI.

Quare nõ priùs oculis obversatur color ullus in aëre, nisi aut nubis cãdidæ crassiusculæ, aut ipsius Solis.

XXXVII.

Sin verò aër ob immistos vapores crassus & densus emergat, tum etiam proximius oculis colorem quendam objectat.

XXXVIII.

Postremò non succedit visio, nisi medium perspicuũ ac luminosum inter oculum & coloratũ corpus interveniat.

XXXIX.

Imago enim & color corporis tum demùm resultat, ubi perspicuo luminoso corpus priùs collustratur.

Vnde

XL.

Vnde noctu & in opaca umbra latitant & imago & color rei; si etiam res colorata oculo pressius admoveatur, nihil quoque videtur.

XLI.

Definitione visus adumbratâ, modum visionis ita delineamus.

XLII.

Visio est mixta visus operatio, quâ animalis spiritus colorati corporis imaginem, quæ oculis obversatur, & in nitido resplendet humore crySTALLINO, persentiscit, ac in cerebrum mox comportat.

XLIII.

Spiritus enim opticus cum subtilis sit & tenuissimus, facilè ab objectis formis impellitur, dum in tersissimo humoris crySTALLINI speculo idola corporum collucent,

XLIV.

Quare celerè cursu opticus spiritus tum in cerebrum resilit, atque imagines & idola ista citra materiam ad animam defert.

XLV.

Hanc visionis definitionem cum eminentissimo Philosopho summo Aristotele exosculamur, qui εἰσδὴχα τῶν εἰδώλων ἀνεῦ ὀπτικῆς πνεύματ^{ος} ἐκπρόμπην, visionem obtingere asseruit.

XLVI.

Repudiamus igitur dogma Platonis & opinionem Galeni, de visionis modo. Plato

XLVII.

Plato existimabat, spiritum opticum ex oculo in rem visam prodire, qui coloratâ corporis imagine decerptâ remearet in oculum, & secum εἰδωλον istud adveheret.

XLVIII.

Verùm absurda est hæc opinio.

XLIX.

Nam opticus spiritus unico actu prorsus absorberetur, si is in dissitum cœli spatium excurreret, & se ad omnem corporis positionem diffunderet, ubi stellas, sidera, & vastissimos montes contemplamur.

L.

Prætereà opticus spiritus corporeo innititur vehiculo. Quare non posset in cœlum citra suum vehiculum assurgere & evolare.

LI.

Vnde visio pedetentim spatio quodam & intervallo temporis interjecto perficeretur; nec in momento uspiam obtingeret.

LII.

Huic autem cùm fidelis sensuum observatio reluctetur, meritò etiam Platonis absurdam opinionem rejicimus.

LIII.

Porrò etsi Galenus superiori Platonis dogmati patrocinetur, suam tamen opinionem ambiguitati

B

adeò

adeò involvit, ut ipsius sententiæ contrarietate hîc distractus fuisse videatur.

LIV.

Non enim certò eruere ex Galeno possumus, num is in oculo, an verò extra oculū visionem fieri voluerit.

LV.

Nam in utramq; opinionem ipsius decreta propendent.

LVI

Asseverabat autem Galenus, rem visam cum vidente in ipsa visione consociari.

LVII.

Hinc necessarium extruebat, ut aut ex oculo, aliquid pertingeret in rem visam; aut ex corpore colorato aliquid protenderetur ad oculum.

LVIII.

Vtrumq; autem ipsum quodammodò asseruisse comperimus.

LIX.

Nam existimavit spiritum opticum extra oculum ad certam quandam distantiam exporrigi: Deinde à re visa etiam imaginem proficisci, ac in medio intervallo cum optico spiritu coire, atq; ita visionem fieri.

LX.

Galenus multas conquirit rationes, quibus hâc evinceret opinionem & obtruderet.

Ratio-

LXI.

Rationes istas disputatio excutiet.

LXII.

Est autem perversa illa Galeni opinio & absurda.

LXIII.

Nam visio ita extra oculum in aëre perageretur,
& aër fieret animatus.

LXIV.

Præterea aliam adhuc implicat absurditatem.

LXV.

Si enim spiritus opticus semper extra oculum ad
certam distantiam protenderetur, tùm si unum, duo
aut tria stadia interveniant, inter oculum & visibile
corpus, non eadem esset utrobiq; videndi ratio.

LXVI.

Nam alibi ipsa imago ad oculum pervolaret; a-
libi in aëris intervallo obhæsitaret.

LXVII.

Deniq; si spiritus ullus in naturali visione extra
oculum prorumperet, naturalis visio plurimùm atte-
reret vires nostras, ubi aliquantulum continuè extra-
heretur.

LXVIII.

In spiritibus enim residet nostrum robur.

LXIX.

Hinc spiritu disjecto & continuâ visione magno-
perè diminuto vires animalis conciderent.

LXX.

Huic autem fidelis obnititur experientia.

B 2

Ergò

LXXI.

Ergo spiritus ex oculo non erumpit, ut visionem peragat.

LXXII.

Porro Galeni opinionem funditus hoc convellit disjunctum.

LXXIII.

Si aliquid ex oculo prodit, ut visionem exequatur, illud aut corpus erit, aut spiritus, aut qualitas.

LXXIV.

Sed nullum horum: Ergo nihil ex oculo emanat ad visionem obeundam necessarium.

LXXV.

Si corpus esset, tum non posset subito dissita loca pervagari, & se ad omnem colorati corporis positionem expandere. Exigua enim foret ipsius quantitas.

LXXVI.

Deinde si spiritus esset animalis, tum sensili munere non perfungeretur amplius, ubi è corpore evollasset.

LXXVII.

Anima enim in corpore duntaxat suas operationes spiritibus exequitur.

LXXVIII.

Nam extra corpus spiritus mox disjicitur, & animæ detrectat imperium.

Præ-

LXXIX.

Prætereà nulla qualitas visionem peraget extra oculum, aut multa inde absurda suppullarent.

LXXX.

Qualitas enim una è subjecto in subjectum citra mutationem subjecti ita commigraret.

LXXXI.

Postremò lucida qualitas non est, quæ forinsecus visionem perficiat.

LXXXII.

Nam etsi oculus sit perspicuus, non ideò tamen insito collucet splendore, nisi lumine perfundatur priùs alieno; perinde ut crySTALLUS proprio refulget nitore, ubi alieno priùs & lumine externo collustratur.

Corollaria.

1.

Totus animalis spiritus ex Elementis non consurgit.

2.

Sensus interni nullis sedibus aut locis discluduntur.

3.

Nervi ex cerebro effruicant: vena ex corde progerminant.

B 3

Anima

Anima brutalis est essentialiter tota in qualibet parte
non verò totaliter.

Anima rationalis verò est, & essentialiter, & totaliter
integra, tum in toto, tum in qualibet parte.

Quæstiones.

1. An Elementa ex communi quadam materia ut
cœlestis motus ac luminis unquam prodierint:
& num hodie cœlum motu suo ac lumine Elementis
forma characterisimum elargiatur?
2. An Elementorum metamorphosis uspiam obtin-
gat in natura?
3. An ignis essentialiter sit siccus?
4. An aqua sit frigidissima?
5. An prima materia sit aliquid?
6. An cœlo insita qualitates sint deroganda.





Fiet Disputatio 19. Ianuarij.

rtol
ali
vi
nt
ntis
in



Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is faint and difficult to decipher but appears to be a title or heading.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is faint and difficult to decipher but appears to be a title or heading.



99 7 242

ULB Halle

3

002 039 591



Nur für den Lesesaal



NOBI
BILIS
PERAT
dalo o

Divini n
since

CELEB
la VVi

Candidis

M. CH

IOHA

Exc

NO
S O

D Æ-
i-

vore,

CLY

iet

us

e.

